

- 3 ficiaria res esset? Huius opus unum est de divinis humanisque  
verum invenire; ab hac numquam recedit religio, pietas,  
iustitia et omnis alius comitatus virtutum consertarum et  
inter se cohaerentium. Haec docuit colere divina, humana  
diligere, et penes deos imperium esse, inter homines consor-  
tium. Quod aliquamdiu inviolatum mansit, antequam socie-  
tatem avaritia distraxit et paupertatis causa etiam iis quos  
fecit locupletissimos fuit; desierunt enim omnia possidere,  
4 dum volunt propria. Sed primi mortalium quique ex his  
geniti naturam incorrupti sequebantur eundem habebant et  
ducem et legem, commissi melioris arbitrio; natura est enim  
potioribus deteriora summittere. Mutis quidem gregibus aut  
maxima corpora praesunt aut vehementissima: non praecedit  
armenta degener taurus, sed qui magnitudine ac toris ceteros  
mares vicit; elephantorum gregem excelsissimus ducit: inter  
homines pro maximo est optimum. Animo itaque rector  
eligebatur, ideoque summa felicitas erat gentium in quibus  
non poterat potentior esse nisi melior; tuto enim quantum  
vult potest qui se nisi quod debet non putat posse.
- 5 Illo ergo saeculo quod aureum perhibent penes sapientes  
fuisse regnum Posidonius iudicat. Hi continebant manus et  
infirmiorem a validioribus tuebantur, suadebant dissuade-  
bantque et utilia atque inutilia monstrabant; horum pru-  
dentia ne quid deesset suis providebat, fortitudo pericula  
arcebat, beneficentia augebat ornabatque subiectos. Officium